



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

CVI. Lotharivs LXXX. Arch. XXXV. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

nia Rectoris clarissimus, Mitrà proin tantâ, quanta est Trevirensium, judicatus est dignissimus, Augustæ Vindelicorum Mitrà & Pileo Electorali exornatus. Augustâ domum reversus Gebhardi Truchsesii, Coloniae Archi-Episcopi defectioni sese opposuit medium. Ille verò cum respueret sana consilia, Ernesti Bavariæ Ducis surrogationi haud ægrè adstipulatus est, à quo dictum Electorum omnium nomine sacramentum excepit. Stimulante dein Archi-Præsulem Legato Apostolico, producta denovo post annorum 40. intercapedinem Toga Domini, ingenti affluentium numero est exhibita. An. 1591. Bojariæ Principes Philippum & Ferdinandum in Canonicorum numerum admissos singulari honore excepit, & præsentes fovit, exemplum Electoris sui pro viribus imitante Magistratu & Academia. Par honor exhibitus est Archiduci Ernesto Belgium petenti. Annis postremis non uno duntaxat vexatus morbo, argumenta multa insignis patientiæ, religionis, & aliarum multarum virtutum ostendit, donec denique Confluentiæ an. 1599. animam multis meritis pretiosam creatori suo reddidit: exta & cor in templum Societatis JESU, cujus author erat, inferri jussit. Sed. an, 18.

SECVLVM XVII.

CVI, LOTHARIVS LXXX. ARCH.
XXXV. ELECTOR.

ANno 1600. Lotharius stemate Metternichius in Sedem Joannis evectus, aulæ suæ non admodum probatæ mores ac ministeria justissimis legibus ante omnia adstrinxit. Sacris dein Exercitiis, ut vocamus, in domo Probationis Soc. JESU, se totum impendit, ut sacræ, quin & profanæ militiæ se ritè accingeret & Archi-Præsul & Elector. Et hein! anno ejusdem

dem seculi primo Henricus Seinæ Comes Clericum exiit, ut maritum indueret, fidei etiam avitæ factus defertor, qui quòd improlis diem obiisset, de feudo relicto lis gravissima inter Electores quatuor intercessit, vincente demum Lothario. Annis proximis Orthodoxos inter & Heterodoxos Principes nunc Heidelbergæ, nunc Ratisbonæ, nunc aliis in urbibus agitata varia consilia Lotharium celeberrimum reddidère, utpote cujus auctoritate præcipua Confluentiæ, Fuldæ & alibi Catholicorum conventus Protestantium machinis obstiterè, præsertim postquam Confluentiæ Catholicorum Principum fœdus an. 1609. est erectum, *quod Ligam* dixère, & ejusdem Caput Ducem Bavarum elegère, Pontifice ac Cæsare factum probantibus. Discordia etiam inter Rudolphum Imperatorem & fratrem Mathiam gravior, Electori huic multa faceffivit negotia, quæ tandem Rudolphi grandior ætas & mors discussit; Protestantium verò proposita firmavit. Interea tamen dum foris plurima egit Lotharius, domi neglexit nihil, nunc instaurandis & exornandis templis, nunc emendandis moribus, nunc reducendis A catholicis intentus; quam ob rem Clericis suo munere fungentibus & Monachis sese exhibuit beneficentissimum; inter priores numerati è Societate JESU Patres ingentia accepère beneficia ringentibus Hederodoxis. At cum inter tot curas publicas ætas ingravesceret, Administrationis & curarum socium admisit Carolum nepotem, suo & multorum aliorum bono maximo. Dum domi itaque Electorem curat, animæ ad mortis luctam præparandæ suo tempore memor maximè, interea Maximilianus Bavarus Supremus militum Dux, & Joannes Tilius commilito strenuissimus memorabili victoria Christianum Anhaltinum Friderici Palatini, & confœderatorum Ducem prostravère, non minùs rem strenuè agente Spinola Duce, qui Friderico Palatinatum ademit. Verùm inde tempestas major exorta, dum Mansfeldius, Christianus Brunsvicensis, & Fridericus Marchio Durlacensis cum Anglis Batavisque

que Friderico Palatino junguntur, & ad prælia victores provocant probè gnari, Lotharium domi consiliis & missis auxiliis pugnare; unde & hujus ditionibus illatum bellum, & hostes, & amicos accivit Reipublicæ parùm sæpe proficuos. Curis igitur præsertim Martiis, & annis confectum corpus cùm traheret annorum 75. jam Elector, animam exquisitis à tenera jam ætate virtutibus exornatam, mors à corpore separavit an. 1623. Sed. an. 24.

CVII. PHILIPPVS CHRISTOPHORVS LXXXI. ARCH.
XXXVI. ELECTOR.

Philippus Christophorus è clara familia de Stötern prognatus, in Episcopum Spiræ jam antea electus, & Camerae Imperialis Judex constitutus, in Archipræsulem & Electorem Trevirorum eligi est promeritus. Exornatus Pallio ab Urbano VIII. Pont. Abbatiam S. Maximini, Abbate ejusdem paulò antè defuncto, in commendam, uti dicunt, admisit, quæ res Cæsare, Rege Hispano, & ejusdem Monasterii Viris Religiosis vehementer repugnantibus, gravissimi dissidii & belli occasio fuit: lis namque post breve temporis intervallum Archiepiscopum inter & Meternichios, item inter eundem Archipræsulem & cives ad tributa varia solvenda coactos orta, in partes maximè adversas dissecuit utrosque: Meternichios enim Canonici plerique, & cives secuti, Hispana præsidia in urbem admisere, negato aditu confœderato militi, quem Elector advocarat. Eodem tempore à tergo hostis gravior Gustavus Suecorum Rex adfuit, qui victo fugatoque prope Lipsiam Tillio per Franconiâ venit, & Moguntia expugnatâ Confluentiæ, Colonia & aliis urbibus paria fata minitatus est. Christophorus igitur hostem metuens, Regem Galliæ auxilia rogavit, dum Metternichii cum sociis ad Cæsarem confugerunt. Præstò